

LXX duos discipulos figurate demonstrant, qui et ipsi ad praedicandum verbum sunt missi¹ a Domino; gradum sacerdotii minoris, qui presbiteratus vocatur, sua electione signarunt. Unde merito ieiunium triduanum illo in tempore agitur, quo digni fiant sacrandi ad merita LXX duorum discipulorum pervenire. Et hoc fiat quater in anno, quia quattuor sunt plagae mundi, in quibus consecratio celebratur. Et quattuor sunt tempora, quae sol iustitiae sua luce inradiat, ad exemplum solis mundani, qui per menses² XII signiferum lustrare circulum et totum ambire consuevit. Nam et quattuor ordines in rationali, quod erat in pectore summi pontificis, qui ternos habebant lapides, congruunt anni vertentis ordini, qui per ternos menses in quattuor tempora distinguitur. Annus Domini, quem sol iustitiae per cuncta tempora nostra inlustrat, ipse est, de quo Esaias praecinebat dicens³: 'Ut predicarem annum placabilem Domini et diem ultionis Deo nostro'. Dicam et alio modo quo perveniat ad culmen apostolicum. Duodecim menses duodecim apostolorum doctrinam possumus intellegere. Unde scriptum est in apocalypsi⁴: 'Ex utraque parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum'. Per doctrinam duodecim apostolorum crux Christi fructificat, de qua descendit sanguis et aqua, quod nos redimendo et abluendo, cottidie facit crescere in augmentum⁵ corporis Christi. Ipsi sunt duodecim lapides, qui tipice portabantur in pectore Aaron quadripartito ordine, sicuti quadripartita sunt tempora, scilicet in uno quoque versu tres lapides ut in uno quoque tempore tres dies. Erant in rationali duodecim lapides cum inscriptis nominibus XII patriarcharum; singuli autem lapides singulis patrum nominibus inscribuntur, dum sanctorum vitam rector inspiciens, qui quibus maxime virtutum operibus floruerint, sedula inquisitione scrutantur. Et haec cuncta in abditiis sui pectoris meditando colligere atque operando proferre satagit. Decorem⁶, quem operatus est nitor gemmarum in pectore Aaron, operetur in nostro sobrietas ieiuniorum. Quod vero diversi generis lapides idem inscripti sunt, denuntiat figurate, quia multiplex est varietas in gratia bonorum operum, quibus prefata sanctorum fides et spes et caritas confirmata refulget. Diversa etenim sunt nostra quattuor tempora, sicuti praediximus. Quattuor namque ordines gemmarum habet in pectore sacerdos, quando omne quod cogitaverit, iustitia eximium, prudentia circumspectum, temperantia a malis omnibus secretum, fortitudine fuerit firmum. Quamquam iste virtutes singulorum corda sanctorum suo fulgore ornent, et precipue dominicum, qui est

1) Verbessert aus 'amissi'. 2) Verbessert aus 'mensis'. 3) Es. 61, 2.
4) Apoc. 22, 2. 5) 'augmentum' Hs. 6) Verbessert aus 'decorum'.